



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania

Francus, Antonius

Augustæ-Vindelicorum, M. DCC XXVI.

Præfatio ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)

Præfatio ad Lectorem.

Nelicio, quâ vi occultâ senserim pluribus ab annis incitari me ad eripien-
das hominum oblivioni res gestas à Majoribus nostris in hac Lusitana
Provincia. Sunt enim per se magnæ, ac dignissimæ, quæ commenden-
tur æri, & memoriæ perennaturæ. Scriptoris quoq; felicitas est, si videat labo-
res suos immunes ab interitu. Neque risu, sed laude dignum censeo, qui cum-
mulando, limando, & locupletando volumina vitam & annos consumpserit: cum
sit honestissimum, saltem ad vitandum otium, vitiorum omnium radicem, con-
scribendis libris insudasse. Certè cum animum adjeci, & manum ordinandis
meorum Majorum factis, quæ tenebris delitebant sepulta, mihi alia mens non
fuit, nisi tempus, post expleti muneris mei pensâ, supervacaneum fallere negotio
valde consono homini religioso, qui nollet vitam suam inanibus curis deditam
transigere. Postea opere crescente, me urfit studium vulgandi, quæ collegeram,
ut Fratribus meis in Domino charissimis essent utiles labores mei; dum facillè
poterant Majorum nostrorum res illustres perlegere, sèque ad imitationem in-
citare. Voti sum factus compos, editis in lucem quatuor voluminibus de viris
illustrioribus hujus nostræ Lusitanæ Provincia. Hæc sunt conscripta sermone
patrio. Ne solum essent familiaria Lusitanis, nostrorum hominum facta, & vir-
tutes composui Latinè, *Annum gloriosum Societatis in Lusitana Provincia*, in eo
per anni dies, ac menses succinctâ narratione complexus tum virtutes hominum
illustrium, quorum vitas in lucem edideram, tum aliorum imitatione dignissima
exempla. Id opus excusum Viennæ in Austria. Cum viderem Provinciam
nostram carere monumentis, quæ posteritati legendas offerrent Collegiorum, ac
Dorum fundationes, & alias res gestas, quæ multæ sunt, & gloriosæ; de-
vovi me totum Annalibus Provinciæ scribendis. Quatuor voluminibus non
parvæ molis sermone patrio conclusi res notabiliores, quæ à Societate condita
ad nostrum usq; tempus in hac Provincia contigerunt. Hanc omnem rerum vasti-
tatem in Latinum redegi compendium, quod lectorem satis edoceat gestorum
substantiam, & succum. Credo hujusmodi laborem non parùm scriptores no-
stros adjuturum, qui suas curas impenderint illustrandis factis universæ familiæ: si-
mul allaturum singulare solatium sociis aliarum gentium, qui cupiunt scire pri-
mordia, & progressus ejus Provinciæ, quæ totius ordinis prima fuit. Sanctis-
simus Fundator mittens ad Magistrum Simonem Rodericium patentes litteras,
Magistro Simoni, inquit, *primo Societatis Provinciali*. Etenim ad id tempus Ro-
mana Provincia carebat justâ Provinciæ formâ. In aliis regnis, ac ditionibus
Principum admodum pauci de nostris erant. In Lusitania Regum favore robu-
stas vires paucis annis, quæ satis essent formandæ Provinciæ, Societas acquiserat.
Faxit Deus Opt. Max. ut meus hic qualis qualis labor augeat ejus gloriam, cui
serviunt unice hujus minimæ Societatis filii, quos inter, licet immeritum, me
Numinis indulgentia misericors dignata est recensere. Illud postremò velim
animadversum, ut si lector, quod facillè potuit evenire in tanta rerum varietate
collecta ex diversis documentis, offendat in scriptis meis aliquid sibi pugnans,
id corrigat juxta hanc Annalium synopsis, quibus, ut laboris mei postremis,
non pauca, quæ ex aliis peccaveram, emendavi. Non ideo ausim affirmare,
cavisse omnia. Nam immensa rerum moles, & varietas semper est erroribus
obnoxia; quamvis adhibeatur, ut reapse adhibui, vigilans cura. Scimus, in-
quit Horatius, & hanc veniam, petimusque, damusque vicissim.